


EPITAPHIVM REVERENDI VIRI D. PHILIPPI MELANTHONIS, SCRIPTVM AB

HENRICO MOLLERO HESSO.



Hic Vuiteberga gemens dedit ossa Melanthonis
In patris exequias officiosa sui. (urne,
Qui Brettæ claris virtute parentibus ortus,
In Palatini quæ ditione iacet,
Huc in Saxoniæ felici sydere uenit,
Accitus precibus Dux Friderice tuis,
Tunc ut syncera de relligione Lutherus
Teutonas inciperet ritè munere suos.
Cumq; bonis animi, cum rerum maximus usu,
Cumq; potens cunctis artibus ille foret.
Quas homini inscitiam contra, moresq; ferinos,
Monstrauit summi cura fauorq; Dei.
Non modo solerti triplices indagine linguis
Excusit, luci restituitq; sue.
Nec modo perspicuis pulchræ rationibus arte
Tradidit, in somni distribuitq; fide.
Sed quoq; concordi iuuit pietate Lutherum,
Vt bene susceptum perficeretur opus.
Vt sacra relligio, synceraq; gloria Christi,
Staret ab informi libera tota situ.
Quem dominatricis uecors audacia Romæ
Turpiter in sacras accumulate opes.
Hunc uarie contra pugnauit & acriter hostem,
Cum sectis alacres conseruitq; manus.
Hoc dum uoce docet, dum scripta fideliter edit,
Dum firmat ducibus templa scholasq; suis.
Hoc in colloquijs, hoc in conuentibus egit,
Ipsius hoc studium, summaq; cura fuit.
Sic Christum docuit multas agnoscere gentes,
Sic Claria innumerous imbuit arte uiros.
Dum uelut ex gaza preciosis diuite rebus
Ex pleno Aonias pectori fudit opes.
Insuper exemplo senibus, teneræq; iuuentæ,
Et uitæ & morum dexteritate fuit.
Nil nisi suavis erat bonitas, & candor apertus,
Nullus in ipsius pectori liuor erat.
Quin commune bonū, promptusq; minister egētum,
Omnibus optati quin uice patris erat.
His tamen ipse bonis, lustra in commune laborans
Penè nouem, raro præmia digna tulit.
Imò à discipulis, cuculos imitantibus, atrox
Vulnus in innocuo nomine passus obit.

Seclis fama sui, uirtutum splendor, & amplum
Sanguinis Aonij Teutonicisq; decus.
Vt tres bissexis cum lustris uixerat annos,
Totq; dies, Maius quot geminatus habet.
Sic igitur uir tantus obit, sanctasq; frequentat,
Ad uitæ metas illius usq; preces.
Amplectente fide meritum uenerabile Christi,
Specq; bona, & uiui plenus amore Dei.
A quo nunc superam cœli repetitus in arcem
Spiritus, eterni munus honoris habet.
Nomen at effugiens Lethen, & funeris exors,
In terris celebri laude superstes erit.
Donec erunt pietas, & honeste gloria uitæ,
Donec in Arctoas defluet Albis aquas.
Atq; hac in tumba placide sacra membra quiescent,
Dum ueniat cunctis gentibus illa dies.
Quæ manes tumulis educet hiantibus omnes,
Vt decus ex meritis opprobiuumue ferant.

Tempus obitus 1560.

NoCte Vbi ConfVMpta SVrgVnt eX PLeloe nata,
FVNCTVs es heV Vlta sanCte PHILIPpe tVa.

ÆNIGMA DE ANNO MOR

tis eiusdem.

B Elligeræ Diue superest iniusta quo ales
Secla, Gyges fertur quo tenuisse manus,
Lata quo obliqui sunt sydera partibus orbis,
Quot Lyra luminibus, maior & Ursa nitent,
Soles quo medio pendentibus æquore nidis
Incubat Halcyone matris imago piæ,
Quot rota falciferi senis annis tota mouetur,
Vnam ortam demas si sine matre Deam,
Tot per signa means bis sex uariata figuris,
Sol nato à Christo clausit Olympiadæ:
Albidos ab ripis ubi notus ad astra Melanthon,
Hinc Diuum ad sedes iussus abire fuit.
Iof: à Pinu.

VVITEBERGÆ

1560.

R 97